Florus abbreviator Titi Livii

(2)-1

nam pulcritudo intra pudiciciam principis fuit. nec illa de vita que offereba-
tur. sed de parte regni laborabat. Quod ubi a principe desperavit servarique se
triumpho vidit. in cautiorem nacta custodiam in mausoleum se sepulchra
regum sic vocant. recepit. Ibi maximos ut solebat induta cultus. in differ- mors cleopatre
to odoribus solio iuxta suum se collocavit antonium admotisque ad ve-
nas serpentibus sic morte quasi somno soluta est. Hic finis armorum ci-
vilium. reliqua adversus exteras gentes que districto circa mala sua
imperio diversis orbis oris emicabant. Nova quippe pax necdum assue-
te frenis servitutis tumide gentium inflateque cervices. ab imposito nuper
iugo resiliebant. Ad septentrionem conversa ferme plaga ferocius agebat.
Norici. illiri. pannonii. delmate. misi. thraces et daci. sarmate. atque germa-
ni. Noricis animos dabant alpes et nives quo bellum non posset ascen-
dere. Sed omnes illius cardinis populos brennos senones atque vindelicos
(s. cesar augustus)
per privignum suum drusum pacavit. Que fuit callidarum gentium fe-
ritas. facile vel mulieres ostendere que deficientibus telis infantes ipsos
afflictos humo in ora militum adversa miserunt. Illirii quoque sub alpibus
agunt imasque valles earum ad quedam quasi claustra custodiunt
abruptis torrentibus implicati. In hos expeditionem ipse sumpsit. fierique
pontes imperavit. hic se et aquis et hoste turbantibus cunctanti ad as-
censum militi scutum de manu rapuit. et in via primus tunc agmine
secuto cum illirieus multitudine pontem succidisset. saucius manibus
ac cruribus speciosior sanguine et ipso periculo augustior terga hostium
percecidit. Pannonii duobus saltibus ac tribus fluviis dravo savoque vallan-
tur. Populati proximos intra ripas se recipiebant. In hos doman-
dos vinnium misit. Cesi sunt in utrisque fluminibus. Arma victorum non
ex more belli cremata sed capta sunt. et in profluentes data ut ceteris qui
resistebant victoria sic nuntiaretur. Delmate plerumque sub silvis agebant.
inde in latrocinia promptissimi. Hos iam quidem marcius incensa ur-
be delminio quasi detruncaverat. Postea asinius pollio gregibus. armis
agris multaverat. hic secundus orator. Sed augustus perdomandos vibio
mandavit. Qui efferum genus fodere terras coegit. aurumque venis repu-
rgare quod alioquin gens omnium cupidissima studio diligentia acquirit.

f

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. C 219, 2_1r – A) Cicero: Topica; B) Annaeus Florus: Epitome Bellorum Romanorum; Livius: Periochae; C) Juvenal: Saturae, cum glossis; D) Augustinus (Pseudo-): Categoriae [= Paraphrasis Themistiana] (https://fragmentarium.ms/view/page/F-yuic/5321/50590)